

TERTIVS.

id quod sui generis alio minus est, hic pro parte habetur.

Est minutia duplex, nam alia est minutia simplex uel principalis, alia uero minutia minutiae, de qua paulo post. Minutia simplex duobus numeris utitur, quorum alter alteri, uirgula interiecta, subscribitur hoc modo $\frac{7}{9}$, $\frac{2}{13}$, $\frac{13}{24}$, $\frac{10}{21}$, atque id genus. Dicitur superior Numerator, inferior uero numerus denominator

Numerator	5	—	uirgula interiecta
Denominator	8		

Numerator est numerus cuius tot sunt unitates quot integri partes uolumus representare.

Denominator est numerus per quem integrum diuisum est, ut minutiae $\frac{3}{4}$, numerator est ternarius. 3. Et quandoquidem ternarij tres sunt unitates, ideo etiam tres integri partes representat, & tales quidem quales inferior denominator 4, per quem